

138-4

IOANNIS PIERII
VALERIANI
BELLVNENSIS,
HIEROGLYPHICA,

S E N
DE SACRIS ÆGYPTIORVM ALIARVMQVE
GENTIVM LITERIS COMMENTARII:

*Summa cum industria exarati, & in libros Quinquaginta octo redacti: quibus etiam
duo alijs ab eruditissimo viro sunt annexi.*

Nunc primum verò his sexaginta libris Auctarij loco subjuncta sunt HIEROGLYPHICORVM
COLLECTANEA, ex veteribus & Neotericis Auctoribus descripta,
atque in SEX LIBROS digesta.

Hac postrema omnium editio, preter iconas & varia numismata affabré elaborata, non solum variarum historiarum,
veterumque inscriptionum monumenta continet, verum etiam præter Aegyptiaca, & alia pleraque mystica, tum
locorum communium ingentem syluam: tum sacrarum literarum, in quibus haud raro & Christum ipsum &
Apostolos Prophetasque huiusmodi locutionibus usos fuisse videmus, exquisitam interpretationem. quippe cùm
hieroglyphice loqui nihil aliud sit, quam diuinarum humanarumque rerum naturam aperire.

Accesstè perutiles ad marginem Annotationes numquam hactenus excuse, vna cum Declamatiuncula pro Barbis,
ac eiusdem Poëmatibus media parte auctioribus: eaque omnia à mendis que irrepserant, vindicata.

Cum Indicibus variis post Praefationes, & ad Operis finem, additis.



L V G D V N I,
Sumptibus Pauli Frellon.

M. D C X.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISS.

A abduci pateretur abuehendum, quippe cum in loca sterilia, inamœna & barbara, vbi ludibrio contumeliisque omnibus tamquam hosticæ terræ animal afficeretur, neque viœtui neque ornatui eius vel necessaria, vel commoda sufficitur: lögum ad hæc iter & incommodum, & vastum maris æquor arandum, vt satius esset in qua tunc erat terra quam primùm contrucidari, quām per tot viarum difficultates ad ærumnosissimam denique vitam peruenire. Rex hac re cognita, magistrum Hannonis ad se quam primùm accersiri iubet, sequè dolos eius compcrisse dicit: ageret itaque vt intra triduum Hanno in nauim imponeretur, idque ni properè fieret, interminatus est actutum se hominem extremo suppicio affecturum, vt aliis exemplo esset, qui mandatis regiis fucum facere ausi essent. Hac ^a Regens & memorabilis historia.
C regis asperitate territus Elephanti magister, cùm nullam in cunctatione salutem intuetur, discipulam belluam aggreditur, docet se maleuolorum quorumdam fraude subornatum, qui & felicitati vtriusque inuidenter, & regi optimo malè obtemperantes essent, longè autem secus rem habere, quām illi mentiti essent. Siquidem non immania & effera loca profecturi erant, sed ad urbem orbis terrarum dominam, ameno loco sitam, vbi rerum deliciarūmque omnium quotquot vel auidissimi cuiusque cupiditate experti possint, copia fertilissima redundaret. Ibi esse Principem, cui torus penè terrarum orbis assurgeret, apud quem is in deliciis habendus esset: & tamquam Lusciniæ pullus, lauitiarum blanditiarūmque affluentia nutricandus: proinde bono animo esset, secundumque primo quoque tempore latus & alacer naucm inscenderet, affuturos nauigationi Deos cursum omnem incredibili felicitate prosecuturos. Ita Hannonem ab eodem magistro in aliam sententiam deductum, vbi signa data sunt, vltro nauem concendiisse, neque villa umquam imperia toto itinere detraçtasse.

DE RHINOCEROTE. CAP. XIX.

Vi Rhinocerota in Domitiani numis inspexere, quid id signum sibi velit, queritare solent. Ego factum id ad Principis adulationem dixerim, qui animalia huiusmodi spectaculis obtulerit, cuiusmodi munus illud fuit, quod à Valerio Martiale celebratur:

Prestit exhibitis tota tibi Cesar arena,
Quæ non promisit pralia Rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat!

IRACUNDIA EX TARDITATE FEROCIOR. CAP. XX.

Svnt enim qui lentitudinem irascendi, ac nullum mox adhibitum modum excandescientiae, per huius animalis hieroglyphicum intelligant. Nam in eo conueniunt authores, magna id indigere irritatione, sed vbi irasci coepit, esse ferociissimum, quod & altero Martialis expressit Epigrammate:

Sollicitant pauci dum Rhinocerota magistri,
Sæque diu magne colligit ira fera:
Desperabantur promissi prælia Martis,
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque grauem gemino cornu fit extulit Vrsum,
Iactat ut impositas Taurus in astra pilas.

REX POTENS IMBECILLIORIS ARTIFICIO PETITVS. CAP. XXI.

Fsvnt qui volentes potentem aliquem Regem imbecillioris alicuius artibus vexatum intelligere, Elephantum pingunt in certamen à Rhinoceronte lacestum. Nascitur hic siquidem natura hostis Elephanto, longitudine ei penè pari, sed cruribus multò brevioribus, colore buxeo, vt ait Plinius ^b. Cornu is ad saxa limato se pugnæ præparat: in dimicione aluum maximè petit, quam esse molliorem intelligit, eaque perfossa, actutum superat Elephantum.

ROBVSTVS. CAP. XXII.

San fortè atque robustum Diuinæ literæ, vt Eucherius stradit, per Rhinocerontis imaginem accipiunt, illudque Iobi ex Hebræo assertur. Numquid vult Rhinoceros seruire tibi? Teribilis, ait is, fera Rhinoceros, cui gemina in naribus cornua: atque ita ^c in Domitiani numis obseruauimus, in quibus Rhinoceros spectatur nares gemino cornu insignis, qualem celebrat Martialis. Præterea qui nuper allatus est ex India inferiori ad Lusitanæ regem, cuius imaginem ad Leonem x. p. m. transmissam vidimus, vnum quidem in nare cornu habet, alterum



b lib. 8. cap. 20.

Domitiani
numus.

Monocerotis ac Rhinocerotis descriptio, & eius in diuinis hieroglyphicis.

rum supernè prorumpit , non adeò magnum ; sed præualidum esse Lusitani omnes , qui animal vi- E
derunt , attestantur. At longè curiosius hoc videndum : in Diuinis siquidem literis μονοκέρωτα &
ρινοκέρωτα , Vnicornem scilicet & Naricornem plerisque locis confusim acceptum fuisse , nimurum à
nouis & veteribus Theologis , qui cum historiam ignorarent , duo hæc vnum eundémque esse credi-
derunt , ita vbiique ab aliis Vnicornem , ab aliis Naricornem vno eodémque loco positum inuenias.
Id quod accidisse puto , quod , vti diximus , pleriq; horū idem esse animal arbitrati sunt Rhinocerota
& Menocerota : cùm alioqui longè diuersa sint , separatimq; à Plinio vtrūque positū , qui libro octauo ,
capite post vigesimum primo , Monocerotem asperrimam ait feram , reliquo corpore Equo simili-
lem , capite ceruino , pedibus Elephanto similibus , cauda Apro , mugitu graui , vno cornu nigro media
fronte cubitorum duūm eminentē . Quæ quidem descriptio eum signat , quem vulgus Halicornum
vocat , quem aiunt pudicitia ita amantein esse , vt non nisi puellæ virginis ope capi possit , quam ve-
natores ibi statuerint sedentem , quod animal ad potum pabulatum se conferre animaduerterint.
Accurrere enim Vnicornem ad puellam huiuscmodi , inclinatumque caput in eius gremium collo-
care , altissimōque mox occupari somno , signoque venatoribus à puella dato appoperare eos , & fe-
ram nullo negotio capere , atque hoc vnius tantum cornu præmio , quod contra venena pollere præ-
dicant : ramenta quippe eius efficacissimè sanare , & toris stratis partem eius impositam , si quid ve-
neno vitiatum apponatur , sudorem emittere . Rhinocerota verò eodem libro Plinius capite xx. po- F
nit , qui cornu non in fronte habeat , sed in naribus , alterum eum à Dracone hostem genitum
Elephanto , & quæ superiùs allata sunt de vtriusque pugna . Sanè alibi in Diuinis literis Rhinocerota
hieroglyphicum esse fortis & robusti viri , vti superiùs dictum , notat Eucherius citato ex Iobe loco ,
Numquid volet Rhinoceros seruire tibi? Et apud Balaam scriptum inuenias , *Cuius fortitudo quasi Rhinocer- rōtis* , vt Latinæ pleræque omnes habent interpretationes , quamuis Sanctes Vnicornis , reddiderit.
Igitur si quid ariolandum , cum Psalmo hoc vigesimoprimo comparatio referatur ad animalia robu-
stissima & indomita , diuinumque auxilium contra eorum imperium atque vim imploretur , quippe
vt Chaldæi & Arabes exposuerunt , *Salua me à feroci fortissimo sicut Leone , & à rege potente , cuius poten- tia sit sicut Naricornis* , eamque plerique lectionem probent , non dubitarim asserere hoc loco Rhinocer-
rotis legendum . Vbi verò Psalmo xxviii . mentio fit amabilioris animalis , dicitur quippe Sarion apud
Hebreos , quod Græci reddidere ἡρακλεός ως ὁ δος μονοκέρωτος , Latini , verbum verbo reddentes ,
Dilectus quemadmodum filius Vnicornium : vetus etiam traductio Vnicornium habeat , nulli dubium esse
crediderim , quin castigator istius loci lectio sit μονοκέρωτος . Atque hæc , mi Domine , sunt quæ super
Elephanto , qui Rhinocerota secum traxit , colligere per occupationes licuit . Tu , qui ætatem om-
nem , horasque omnes assidue lectioni soles impendere , longè illustriora reconditoraque forsitan
inueneris , quæ si ad manus meas peruenire non potuerunt , indulgendum est mihi : non enim ignarus G
es , quantum mihi Principum obsequia , negotiorumque perturbationes de studiis literarum subtra-
hant , crebrisque me interpellationibus auocent . Quare tu , atque alij , qui vitæ meæ rationem inspi-
ritis , mihi estote & quiores , cùm præsertim admoneat Maro , Neminem esse qui possit omnia .

IOANNIS



H